

# Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 17

Carolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum. Quicquid enim locis venerabilibus ob amorem domini et oportunitate servorum dei benivola deliberatione concedimus, hoc nobis procul dubio ad aeternam beatitudinem pertinere confidimus. Igitur conpertum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, qualiter donamus ad monasterium nostrum Herulfisfelt, quod est constructum in honore beatorum apostolorum Simonis et Tatheii ceterorumque sanctorum in vaste Bochochia super fluvium Fulda, quod venerabilis vir Lullo archiepiscopus novo construxit opere et nobis ante hos dies per cartam traditionis visus est delegasse, donatumque in perpetuum esse volumus ecclesia illa infra fisco nostro Scoronishaim, quam Lioba per nostrum beneficium visa est tenuisse, cum omni integritate vel soliditate sua cum rebus ad eandem ecclesiam pertinentibus; et dum ipsa Lioba advixerit, per nostrum vestrumque beneficium ipsam ecclesiam debeat habere. Similiter donamus ad eundem monasterium in pago Wedrebense in loco qui dicitur Hoinge, sicut Haimericus per nostrum beneficium ibidem tenuit. In tertio vero loco in pago Logonense hominem unum, quem Ratbertus habuit, in villa quae vocatur Berinscozo, cum mansos duos, sicut nunc tempore possidere videtur. In quarto quidem loco homines duos his nominibus: Gauzoldo et germano suo Hrodoldo, commanentes in silva Bochochia super fluviolo Geazaha. Haec autem omnia una cum terris domibus aedificiis accolabus mancipiis vineis silvis campis pratis pascuis aquis aquarumve decursibus mobile et immobilibus, quicquid dici aut nominari potest, totum et ad integrum, sicut superius est comprehensum, ad prefatum monasterium a die presenti tradimus perpetualiter ad possedendum, ita ut ab hac die pars predicti monasterii suprascriptis rebus habeat, teneat atque possideat vel quicquid exinde rectores ipsius monasterii pro oportunitate eorum facere elegerint, liberum perfruantur arbitrium; et nulli fidelium aut successorum nostrorum ullo umquam tempore calomniam habere pertimescant, quatenus melius delectet ipsa congregatio pro nobis uxori quae nostra etiam prolis domini misericordia adtencius exorare. Et ut haec traditio atque auctoritas nostris et futuris temporibus firmiorem obteneat vigorem, manu propria subter eam decrevimus roborare. Signum Caroli gloriosissimi regis. Wigbaldus advocem Radoni recognovi et Wihbaldus advocem Radoni recognovi et subscripsi. Data quinto kal. augustas anno quarto decimo et nono regni nostri; actum Herulfisfelt monasterio in vaste Bochochia constructum. Amen.